



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Christi fidelibus per Saxoniam constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

## 808 Epistolarum Innocentij III.

eosdem, eum ipsis in expensis legitimis  
condemnetis. Quod si non omnes &c. duo  
vestrum &c. Tu denique, fili Abbas, su-  
per te ipso &c. Datum Signat v. Idus Oc-  
tob. pontificatus nostri anno xvi.

*MAGISTRO ET FRATRIBVS  
militiae Christi in Livonia constitutis.*

Epist. 123.  
Confirmat eis  
possessiones.

**C**VM à nobis peritur &c. usque affen-  
sū, Saccale ac Hugenulen Gutlan-  
dias adjacentes & omnia bona quae obtine-  
tis in Gutlandia, sicut ea omnia iuste ac  
pacifice possidetis, salvo jure quod debet  
ad Episcopum & Ecclesiam pertinere, vo-  
bis & per vos ordini vestro auctoritate apo-  
stolica confirmamus & presentis scripti pa-  
tronio communimus. Nulli ergo &c.  
confirmationis &c. usque incurfurum. Da-  
tum Signat v. Idus Octob. pontificatus no-  
stri anno decimosexto.

*VNIIVERSIS CHRISTI  
fidelibus per Saxoniam constitutis.*

Epist. 124.  
Quod subve-  
niant Episcopo  
Estiensis prædi-  
canti fidem.  
Vide supra epist.  
120. & infra  
epist. 125.

**Q**UONIAM juxta sententiam sapientis  
ab adolescentia prona est vita homi-  
nis ad peccandum & diversis inquinamen-  
tis obnoxia vitorum, multa ei caritatis  
opera proponuntur, ut ibi multiplicantur  
remedia ubi morborum diversitas invalens-  
cit. Sanè ad vestram dudum credimus no-  
titiam pervenisse quod Dominus noster,  
qui neminem vult perire, sed omnes ad ag-  
nationem pertingere veritatis, calciamen-  
tum suum in Livoniā miseratus extendit,  
ad partes illas novos Apostolos dirigendo,  
per quos populus, qui usque nunc ambu-  
labat in tenebris, cerneret lucem magnam  
ortam ambulantibus in medio umbra mor-  
tis. Inter ceteros autem per quos in genti-  
bus illis revelavit Dominus brachium san-  
ctum suum, ut viderent salutare Domini  
Dei sui, venerabilis frater noster Estiensis  
Episcopus plurimum laborasse dinoscitur  
& divina cooperante gratia profecisse: qui  
quamquam sibi liceat eorum carnalia me-  
tere quibus spiritualia seminat, cum os bo-  
vis alligari non debeat trituras, & Do-  
minus iis qui annuntiant evangelium de  
evangelio vivere ordinari, quia tamen,  
cum sit neophytorum Episcopus, hac uti  
meruit potestate, ne quod offendiculum  
det evangelio Christi, eundem sine baculo  
atque pera portantem coram Regibus &  
gentibus nomen Dei universitati vestrae  
duximus propensiū commendandum, ca-  
ritatem vestram monentes & obsecrantes  
in Domino, atque in remissionem vobis  
peccaminum injungentes, quatenus ipsum

tamquam Iesu Christi Legatum recipiatis  
benignè ac sincera tractetis in Domino ca-  
ritate, suam & coadjutorum ejus in evan-  
gelio ex abundantia vestra in hoc praesenti  
tempore supplentes inopiam, ut & illo-  
rum abundantia vestra sit supplementum  
inopiae in futuro. Datum Laterani iiii.  
Kal. Novembr. pontificatus nostri anno  
sextodecimo.

*EPISCOPO MONASTERIENSI.*

**A**BE qui neminem vult perire, sed  
Epist. 125.  
Recipiat fab  
protectione fe  
dis apostolic  
Vide supra epist.  
124.  
ut omnes ad agnationem perveniant  
veritatis, tibi esse audivimus & credimus  
inspiratum ut venerabili fratri nostro Ef-  
tensi Episcopo, qui, sicut servus fidelis &  
prudens, in Domini vinea fideliter opera-  
tur, cooperator accedens, cum eo porta-  
re proposueris coram gentibus & Regibus  
nomen Dei & dare salutis scientiam plebi  
sua. Nos igitur tuum pium propositum  
dignis in Domino laudibus commendantes,  
fraternitatem tuam monemus atten-  
tiū & hortamur quatenus accensus zelo  
fidei Christianæ, ac sperans quod qui af-  
fectum tibi dedit, adicet & effectum,  
evangelistæ aggrediaris opus & officium  
confidenter, ut cum illis qui euntes ibant  
& flebant mittentes semina sua, exultatio-  
nis manipulos valeas reportare. Ut autem  
prædicationis officium valeas liberiū exer-  
cere, statuimus ut, te hujusmodi pietatis  
operi mancipato, Ecclesia & persona tua  
cum omnibus bonis suis sub apostolica se-  
dis protectione consistant. Tu denique,  
frater Episcope, super te ipso &c. Datum  
Laterani iiii. Kal. Novemb. pontificatus  
nostrī anno sextodecimo.

*In eundem modum scriptum est Episcopo  
Verdensi. In eundem modum scriptum est Epis-  
copo Paderburnensi.*

*ABBATIBVS, ARCHIDIACONIS,  
Decanis, Prioribus, & aliis Ecclesiarum  
Prelatis per Saxoniam constitutis.*

**A**D vestram jamdudum notitiam cre-  
dimus pervenisse quod Dominus no-  
ster, qui neminem vult perire, sed ut om-  
nes ad agnationem perveniant veritatis, ad  
partes Livoniæ calciamentum suum mis-  
eratus extendit, & nonnullos gentilitatis re-  
nebris obvolutos, ab eis ostensa sibi luce  
magna, quæ ipse est, misericorditer libe-  
ravit. Cum autem venerabilis frater noster  
Estiensis Episcopus, qui prædicando in  
jamdiictis partibus verbum Dei multum la-  
boravit in evangelio & divina gratia coo-  
perante profecit, animo indefesso desi-  
deret